OBSERVATIONUM HORATIANARUM PARTICULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XVI. M. AUG. MDCCCLXII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS MUELLER

GUBENENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HERMANN KETTNER, CAND. PHIL.
GUIL. KUEHNE, STUD. PHIL.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

FERDINANDO BERENDES

VIRO OPTIMO.

Quamquam de Horatio potissimum magnam quotannis multitudinem librorum in publicum prodire nescit nemo, tamen quantum equidem scio, nemo exstitit, qui quas leges grammaticas ille secutus sit, accuratius et ordine enarraverit; omninoque fatendum est viros doctos minus operae in dictione poetarum Latinorum exploranda navasse. (Cf. Bernhardy historiae litterarum Romanarum pag. 259.) Itaque accessi ad hoc studium. Quum autem utilius mihi videretur, si de una aliqua grammaticae parte disputarem, ita tamen, ut omnes certi cuiusdam temporis poetas respicerem; eiusmodi quaestionis instituendae ceperam consilium, quod quominus ad finem peragerem temporis augustiis sum impeditus. Cuius consilii ut partem saltem exsequerer, non alienum mihi visum est, certam et solidam, quantum fieri potuit, solius Horatii dictionis proponere effigiem. Neque enim dubito, quin hoc etiam modo aliquid conferri possit ad linguam poetarum Latinorum cognoscendam. Etenim si accuratius exploratum erit, quid unicuique poetae proprium sit quidque cum aliis aut prosae orationis scriptoribus commune, tum habebimus historiam orationis Romanorum poeticae sciemusque quibus rebus alius poeta ab alio differat quaeque alius prae alio ad linguam locupletandam et excolendam contulerit.

Si apud omnes populos poetarum lingua diversa est ab ea, qua prosa oratio utitur, tum hoc maxime cadit in Romanos. Neque id sine causa. Nam quum Graecorum lingua ex poesi, ut ita dicam, profecta, eius indolem, quam diu floruit, servaverit ita, ut etiam in prosa oratione persaepe poeticum colorem deprehendamus, Romanorum linguam plane diversam conditionem subiisse notum est. Neque enim dubium, quin Romani, quum eorum natura magis ad res gerendas quam ad colendam servandamque poesin inclinaret, carmina epica, quibus veterum heroum facta contineantur, non habuerint. (Cf. Bernh. hist. R. l. p. 176 et not. 121.) Quae quum Romanis deessent (nam optimo

iure pro fundamento ceterorum possunt haberi), litterae Latinae quales postea fuerunt, non ortae sunt ex populi Romani natura et ingenio sed ex Graecorum scriptorum et poetarum operibus cognoscendis effloruerunt et incrementa ceperunt. Mirum igitur videri non debet, si in monumentis linguae Latinae multa inveniuntur, quae non ex linguae Latinae legibus sed ex Graecae orationis norma diiudicanda sunt. Ac maxime quidem primi Romanorum poetae, quum Graecorum fabulas magis latine interpretarentur et imitarentur neque quidquam ex suis ingeniis elaborarent, licenter et Graeca verba et formas in suum usum receperunt, praesertim quum novo versuum genere a Graecis sumto necessitate quadam cogerentur non solum saepe syllabarum tempora sed etiam vocabulorum terminationes ad Graecorum morem accommodare.

Poetae autem temporis Augustei quum orationem poeticam omnibus numeris et partibus perfectam atque absolutam effingere studerent nullaque re magis excellerent quam iudicio, hanc in verborum formis et terminationibus efficiendis licentiam, quam sibi poetae antiquiores concesserant, certis legibus definiverunt et coercuerunt. Idque apparet ex Horatii verbis ipsius, qui a. p. 52 sequ. dicit:

> Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
> Graeco fonte cadent parce detorta;

et sat. I, 10, 20 Lucilius vituperatur, quod orationi verba Graeca immiscuerit. Consentire igitur videtur in hac re cum Cicerone, summo prosae orationis artifice, qui (Acad. I, 6 §. 24) quamquam ad res inusitatas significandas et verbis inusitatis et Graecis uti licere statuit, hanc tamen legem secutus est, ne uteretur nisi necesse esset aut si usu iam recepta essent ea quae adhiberet vocabula foris petita. (Cf. Ac. §. 26; de fin. III, 2. 5.) Notum autem est (etenim iam Benleius animadvertit) apud Horatium multa, ni fallor septuaginta fere, inveniri quae dicuntur voces singulares, quarum quidem etsi partem casu in solius Horatii libris extare verisimile est, tamen nova etiam vocabula eum finxisse confirmatur diserto Quintiliani testimonio, apud quem lib. X. §. 96 leguntur: *Horatius variis figuris et verbis felicissime audax.* Cf. Petron. 118 et Hor. ipsum epist. II, 2. 109—125, ubi de novis verbis fingendis priscisque et obsoletis in lucem profe-

rendis docte venusteque disputat. Sed paene nihil ei proprium est et peculiare in vocabulorum formis usurpandis. Nam quum alii poetae et antiquiora verba et terminationes haberent in deliciis, veluti Lucretius et Virgilius, Catullus formas deminutivas, (Cf. Hauptii obs. crit. pag. 14.) Hor. his omnibus parce usus est. Etenim apud Romanos idem evenit, quod semper alibi fieri animadvertimus, ut quo longius procederent temporis spatio, eo magis flexionum copia et varietas ex usu evanesceret. Memoranda tamen sunt haec:

Dixit Hor. *clientam* genere femin. pro *cliente*. Cf. II, 18, 8, (Luc. Muelleri de re metr. p. 376). De gen. *ii* et *i* vide Lachm. Lucr. p. 326. Luc. Muell. 377. *Filius* vocat. c. I, 2. 43. Gen. pl. formam *um* pro *orum*, quam quaedam nomina in prosa etiam oratione fere semper admittunt, poeta noster quater adhibuit: cf. c. IV, 5, 32, *deum* (sat. II, 2, 110); c. IV, 6, 22, *divum;* epist. II, 2, 33 *nummum*. (Cf. Mein. praef. ad Hor. p. 13. Luc. Muell. 379). Paullo severiore usus iudicio censuit Bentl. (c. I, 25. 17) ablativos partic. et adiectiv. in desinentes ex libris Hor. depellendos esse. Cf. autem Servium in arte gram. (pag. 524 Lindem.) referentem: participia in *e* non in *i* debent desinere; auctores tamen euphoniam secuti sunt. Denique quintae decl. gen. efficit poeta per *e* c. III, 7, 4 (*fide*). Cf. Luc. Muell. 381. K. L. Schneiderii gr. L. II. p. 357. Charis. p. 51. Putsch. Eodem modo finxit Hor. dat. *fide*: cf. sat. I, 3, 95: *commissa fide*, quo de cf. Schneid. al. l. Est autem haec forma synaloepha explicanda.

De Graecis Graecorum nominum formis iam recte Bentl. docuit (epod. 17, 17) Hor. in carminibus, quum in iis, ut Bentlei verbis utar, plus exotici nitoris et transmarinae elegantiae affectaverit, Graecas, in epod. vero et sat. et epist. Latinas praetulisse. Incipiamus a nominibus prim. decl. in *e es· as* exeuntibus. Cf. c. IV, 9, 16: *Helene*, cuius tamen nominis genet. c. I., 3, 2. *Helenae* est. C. I, 19, 2. *Semeles* invenitur, qui duo eiusmodi nominum genitivi in carminibus unici sunt. Cf. epod. 17, 42. Accus. est *Helenen* c. I, 15, 2; sed sat. I, 3, 107. *Helenam*. Vocat. in e desinit: *Lyce* c. IV, 13, 23. Substantivorum in *as* et *es* desinentium non omnes casus exstant; hae formae mihi praesto sunt: accus. *Pythagoram* sat. II, 4, 3. Epist. I, 2, 12. *Peliden, Atriden;* vocativi *Archyta* c. I, 28, 2, *Xanthia* c. II, 4. 2;

Atrida sat. II, 3, 186. Nominum Graecorum in *ος* desinentium nom. *ος* et accus. *ον* fere semper in carminibus inveniuntur ita tamen, ut etiam formae latinae exstent, quas praefert in sat. et epist. Cf. c. II, 14, 20. III, 28. fin. Nomina in *εύς* ita usurpat, ut nom. sit *eus*, unam syllabam efficiens, vocat. *eu;* dativum uno loco me legere memini: c. I, 24, 15: *Orpheo.* Nominum tertiae declin. Graecas formas praefert poeta ubique, ita tamen, ut genitivi formam *ος* nunquam adhibeat. Cf. carm. I, 8, 14. IV, 6, 6: *Thetidis;* I, 4, 1: *Atlantis;* epist. I, 2, 6: *Paridis.* Cf. etiam gen. *Achillei* c. I, 15, 34; *Alyattei* III, 16, 41; *Ulixei* I, 6, 7; epod. 16, 60; 17, 16; *Ulixi* epist. I, 6, 63; 7, 40. De quo gen. vide Klotz ad Cic. Tusc. III, 10, 21: Madv. de fin. 5, 5, 12; Wagner ad Virg. Aen. I, 30; Krueg. gr. l. p. 215 et 268. De ablativo *Achille* (sat. II, 3, 193.) cf. Lachm. Lucr. p. 49. Accusativi et sing. et plur. fere semper sunt Graeci in *n a as* desinentes. Cf. exempli causa, ut de carminibus taceam, sat. II, 3, 112, 197, 204; epist. I, 17, 60 a. p. 145.

In pronominibus usurpandis Hor. rarissime a vulgaribus formis aberravit. De pronom. *is* cf. Bentl. ad c. III, 11, 18. Cf. etiam c. IV, 8, 20 et Mein. praef. p. 27, 31. Praeterea habet *quis* pro *quibus* epod. 11, 9; sat. I, 1, 75; I, 3, 66; I, 4, 72; I, 6, 130; I, 5, 42; 9, 27; II, 8, 18: cf. Krueg. gr. l. p. 265. De verbis haec notanda: Quum in carminibus raro verborum formae ex perfecto derivatae *v* omittant, saepius hic usus occurrit in sat. et epistolis. Cf. carm. II, 1, 11, *mearis, ordinaris*, II, 3, 7, *bearis*, III, 23, 3, *placaris*, I, 16, 36, *negarit*, I, 32, 7, *religarat*, neque similes aliarum coniugationum formas me legere memini in carminibus. Sed vide epod 11, 14 *promerat*, 17, 59 *implerat*, sat. II, 1, 145 *commorit*, 71 ib. *remorant;* II, 4, 22 *moris*, II, 2 *didit* (*dividit*), *divisse* II, 3, 166; II, 2. 111 *assuerit.* Talia primae coniug. exempla in epod. sat. epist. multa. Falsus autem est Zumptius, qui (gram. l. p. 158.) formas, quae sunt *donat* (sat. I, 2, 56) et *edormit* (sat. II, 3, 61) pro perfectis habuit. Cf. Heindorf. et Wuestem. ad h. l. et Madvig. Admonit. et observat. de quibusd. loc. gr. l. p. 15. Haas. ad Reis. schol. p. 229. Deinde sat. II, 3, 273 *percusti*, II, 7, 68 *evasti* eiusdemque syllabae *is* syncopa exstitit inf. perf. forma, qualis est *surrexe* sat. I, 9, 73, qui antiquioris sermonis

proprius est. (Zumpt. §. 160). Idem cadit in formas fut. sec. et perf. coni. in *asso* et *assim* desinentes; ad quarum analogiam formatum est *faxis* sat. II, 65. (Zumpt. §. 161. Madv. op. II. n. 2.) Hic moneo etiam coniunct. pr. *edit* epod. III, 2, sat. II, 8, 90; cf. Luc. Muell. p. 403. Infin. pr. pasc. in *er* desinentem semel tantum adhibuit in carminibus (IV, 118 *spargier*) saepius in sat. et epist. Cf. sat. I, 2, 35 *laudarier*, 78 ib. *sectarier*, 104 ib. *avellier*, II, 3, 26 *mercarier*, 8, 87 *torquerier*; epist. II, 1, 94 *labier*, 2, 148 *faterier*, ib. 151 *curarier*. Cf. Krueg. gr. l. §. 27 n. 3, 105, 4. Reis. §. 148. Luc. Muell. p. 398. Denique vide Bentl. ad sat. I, 8, 41; II, 2, 38 (*fi*) et ib. 78 (*nequiere*) et Luc. Muell. 394 et 395.

Sed quoniam de syntaxi vel potius de rectione grammatica apud Hor. obvia disserere in animum iuduximus, videamus, num quid poeta ipse, sicuti de vocabulis fingendis sententiam protulit, ita de verbis inter se coniungendis docuerit. Neque in ea re nos destituit. Dicit enim a. p. 47: *Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum,* quae a multis perperam ita explicantur, ut ad vocabula compositione formanda pertinere censeant, quam tamen interpretationem ea Hor. verba recipere possunt nullo modo. Accuratius enim si id exhibere voluisset, dicere debebat poeta: dixeris egregie, si notorum verborum duorum vel trium iunctura unum novum vocabulum exsistit, vel similia. Itaque recte alii interpretes Porphyrionem secuti sunt qui de his verbis eam habet sententiam verbum quasi novum fieri, si cum altero grammatica, ut ita dicam, constructione coniungatur, de qua, si quaerimus, dici non potest; veluti *splendide mendax, insanientis sapientiae consultus*, quae tamen exempla magis orationi condiendae videntur inservire. Sine dubio autem pertinet illa „callida iunctura“ etiam ad leges certas rectionis grammaticae proferendas, de quibus postea dicam.

Videmus igitur Horatium etiam in verbis inter se coniungendis aliquid ausum esse. Sed in syntaxi non solum Horatii sed omnium poetarum Romanorum exploranda, duo, si a metro discedo, mihi spectanda videntur: primum quomodo linguam, ut ita dicam, secundum ipsius naturam excoluerint, deinde quas Graecorum analogias syntacticas sint secuti. Etenim sane existimandum est poetis Romanis ean-

dem libertatem fuisse, quae omnium linguarum poetis conceditur omnibus. Namque poetae divino quodam spiritu afflati quum sententiarum granditate et novitate excellant, oratio eorum ad has sententias digne exhibendas nova quaedam ornamenta postulat, ita ut non solum vocabulorum singulorum licentia liberior sit, sed etiam verborum coniungendorum consuetudo saepe leges prosae orationis debeat migrare. Itaque si verborum consociationem invenimus, quae abhorret quodammodo a pedestri sermone Latinorum, ea primum ad leges linguae Latinae revocanda ad eiusque normas diiudicanda erit. Neque enim omnia, quae Graecismo similia sunt apud scriptores Romanos a Graecis sunt repetenda. Fuerunt quidam, qui quidquid a legibus grammaticae usitatis abhorrere videbatur, e graeca oratione derivare non dubitarent ita, ut poetarum dictionem, quippe qui non raro Graecas dicendi consuetudines secuti sint, plane ad Graecos referrent. (Bernh. p. 259.) Sed ad imitationem Graecorum apud poetas Latinos recte diiudicandam ea mihi ratio et via videtur esse ineunda ut, quae apud Plautum et Terentium et in prosa oratione inveniuntur verborum consociationes, etsi Graecismo similes sunt, Latino sermoni vindicandas esse censeamus. Quamquam enim poetae comici, imprimis Plautus, saepissime singula vocabula Graeca orationi miscuerunt, tamen minus saepe verba Latina Graeca analogia coniunxisse videntur. Neque id mirum. Id enim constat, si duo populi usu et commercio inter se coniunguntur singula verba multo facilius ex altera in alteram linguam transferri, quam verborum coniungendorum rationem et consuetudinem. Longo tempore opus est, ut altera lingua alterius tangat leges syntacticas. Itaque Cicero Ennium laudat (de or. II, 36.) quod a communi verborum more non discesserit et Terentius propter sermonem suum purum atque emendatum in Romanorum ore erat omnium. Non tamen dicam Plautum et Terentium plane liberos esse a Graecismis syntacticis, sed caute, opinor, providenterque de iis erit iudicandum.

Notum est poetas temporis Augustei priscorum poetarum vestigia reliquisse eosque paene contemsisse. (Hor. sat. I, 4.) Intellexerunt enim carmini perfecto et absoluto non solum egregias sententias sed etiam formam iis sententiis respondentem necessariam esse. Ad quam efficiendam denuo ad Graecorum exempla recesserunt atque

Alexandrinos imprimis poetas iis constat esse obversatos. Quae imitatio non tam ad verborum formas potuit pertinere quam ad syntaxin, cuius igitur leges, si abhorrent a vulgari dicendi consuetudine ex Graecorum imitatione, ex metro et ex natura poetica ipsa erunt explicandae. Ita, ut de Graecismis taceam, poetae infinitivum perf. act. saepe propter solam metri rationem usurpasse existimandi sunt et si pronomini relativo indicativum addunt pro prosae orationis coniunctivo aut interrogationes pendentes per eundem efferunt modum, hic usus non a Graecis sed ex natura poetarum eorumque studio repetendus est omnia clare atque evidenter lectorum oculis proponendi.

Sed ut hic statim breviter ea complectar, quae Horatio, si grammaticam spectamus, propria sint, primum memorandum eum semper pluribus subiectis verbum numeri singularis addere. Deinde paullulum ausus est in verbis nonnullis cum accusativo iungendis. Tum a Graeci genetivi notione profectus non raro Horatius eum casum quum verbis tum maxime adiectivis ita adiungit, ut non solum a prosae orationis sed etiam a ceterorum poetarum consuetudine deflectat. In reliquis casibus utendis rarissime migrat leges grammaticas ceteris etiam poetis usitatas, quod idem dicendum de praepositionibus, quae paucissimis locis exceptis lectori nihil praebent memorabile. Haud pauca autem novavit Horatius in infinitivo usurpando, quum eum et verbis nonnullis et adiectivis, viginti fere, subiecerit, quae ante Horatii tempus non receperunt infinitivum et quorum pauca tantum apud posteriores poetas ita usurpata inveniuntur. Vide infra. Reliquorum modorum usus, si de attractione nonnullisque aliis locis discedimus, simplex est respondetque legibus grammaticis a ceteris poetis receptis. Paullo autem artificiosior est verborum collocatio. Nam quas collocationis leges in hexametris et pentametris adiectiva et substantiva sequi videmus, eas transtulit Horatius ad versus carminum minores. Coniunctiones non raro ab initio enuntiati revocantur ceduntque gravioribus sententiae vocabulis. Denique quum aliis figuris collocationis se abstinuerit paene, unam, *ἀπὸ κοινοῦ* quae dicitur, tam varie usurpavit, quam nemo poeta alius. Vide infra. Atque de omnibus his rebus accuratius infra disputabitur. Liceat autem hic in prooemio ea etiam

annotare, quae de enuntiatis formandis mihi memoratu digna sunt visa.

In omnibus enim poematis saepe eam sequitur rationem Horatius, ut enuntiata magis adiungat quam subiungat. Ac maxime id cadit in carmina lyrica, ubi etiam sententias non ita composuit longas. Neque enim raro una sententia unam efficit stropham saepe etiam duo enuntiata una versuum consociatione continentur. Hanc autem enunciata formandi rationem maxime invenimus in iis carminibus, quae ex vero nostri poetae ingenio provenerunt, dico iocosa atque erotica. (I, 4, 9, 11, al.) Ubi autem discessit ab hac sua indole veluti IV, 2 et 4, ibi enuntiata longiora effecit petivitque, ut ita dicam, auxilium ab arte rhetorica, quam apud antiquiores poetas hic illic animadvertimus (Catull 65), unde tamen Augustei temporis poetae se expedire studebant. Non longiora sunt enuntiata in epodis (cf. tamen epod. II, 39—60.) Latius autem patent in satiris et epistolis cf. epist. I, 15, 1 aliosque locos infra.

Ex hac autem enuntiata adiungendi consuetudine etiam ea repetenda est, qua partes sententiarum saepissime ἀσυνδέτως compositae sint; idque admisit poeta in omnibus suis poematis praesertim, si quid sedato animo describit veluti carm. III, 8, 17—24; IV, 3, 17—24; sat. I, 6, 110 sequ.; I, 7, 20; I, 9, 45 al. Etiam in rebus celeriter se excipientibus enarrandis hoc modo loquitur. Cf. sat. I, 2, 128 sequ. et Kirchn. ad h. l. et I, 9. fin. Luculentum denique huius compositionis exemplum est c. II, 3, totum. Itaque falso Bentleius sat. I, 9, 1 *ut* post verbum *ibam* inseruit. Displicebant enim, dicit, ista concisa et dissoluta et hiantia: *Ibam via sacra, accurrit quidam.* Sed ea ex ipsa poetae sunt mente totiusque loci naturae conveniunt. Eam autem sententias componendi rationem quodammodo lenire studet anaphorae figura saepius adhibita, quae cum in omnibus tum creberrime invenitur in carminibus. Efficiunt eam omnes fere particulae orationis maxime verborum formae, pronomina, coniunctiones, particulae interrogantes. Ex carminibus ascripsi mihi locos omnes: cf. IV, 6, 29, ubi subiectum I, 2, 4, 5, II, 2, 4, 5; I, 1, 29; I, 23, 13; III, 24, 45, ubi verba, I, 3, 25, 27; II, 11, 30, 31, ubi adiectiva, II, 13, 11; IV, 1, 4 fin.; I, 35, 9 sequ.; IV, 14, 33, ubi pronominis person.

formae, I, 3, 11; I, 17, 14, 17; I, 19, 13, ubi adverbia *sic* et *hic* IV, 13, 10, ubi coniunctio *quia* repetita est. In reliquis Hor. poematis vide quum alios locos tum epist. II, 1, 138, I, 1, 20. 26; sat. I, 6, 65 sequ. epist. I, 17, 7 (*si*) 18, 19; a. p. 214 (*sic*), I, 18, 21, 19, 37; denique sat. I, 10, 65; ubi particulae *num* repetitione non interrogatio exsistit disiunctiva, sed duae interrogantes sententiae parem habentes dignitatem et inter se respondentes.

Quamquam facile intelligitur inter satiras et epistulas haud parvum discrimen intercedere praesertim si consideramus, quam materiam in utroque genere sibi sumserit poeta et quo animo eam tractaverit, de quo discrimine iam verissime Lambinus ad sat. I, 1, 1., et post eum multi multa disputaverunt, tamen si formam orationis spectamus, facile id conceditur utrumque genus sermoni propius esse id, quod auctor de suis operibus dixit ipse sat. I, 4, 42, epist. II, 1, 250. Quo imprimis pertinet hoc, quod utraeque repentinas disputationes, conversiones, audaciores sententiarum conexiones admittunt, quod subinde utuntur interrogandi et respondendi vicibus, quasi res ipsa agatur non disputatione exquiratur, quod crebris distinctae sunt fabulis lepidisque narratiunculis; quamquam vel in his rebus epistolis maiorem quandam moderationem ac simplicitatem propriam esse nemo non videt. Deinde haec sermonis quotidiani imitatio cernitur etiam in enuntiatorum formatione. Saepe enim periodi longiores et rhetoricae, ex compluribus partibus constantes, per hos non, ut in epica poesi usu venit, in certas partes dividuntur sed sine ullo pronuntiationis intervallo continuantur, quo poeticum colorem necesse est interire. Cf. sat. I, 1, 15—19; (Si quis deus — nolint); 95—99; 117—119; 2, 49—53; 111—113; 3, 85—89; 113—117, 120—124; 4, 56—62; 93—100, 115—120. (Vide Kirchn. prooem. ad sat. version. p. 34.) epist. I, 1, 42—48 al. l. Non raro protasis et apodosis longitudine parum inter se respondent veluti epist. I, 7, 2 sequ., ubi sententiae concinnitas enuntiatis per particulam *dum* adiectis quodammodo turbatur. Huc etiam referendum, quod poeta saepe enuntiatorum membra interpositionibus separavit. Cf. imprimis epist. I, 1, 15, ubi negligentia quadam, grata illa quidem et fortasse ultro ascita, ita illas interpositiones adhibuit, ut enuntiatum maiorem quam par est acci-

peret longitudinem. Cf. sat. I, 1, 23—35; (3, 9—11); 2, 80—82; 7, 9—20; II, 2 enit. epist. I, 6, 20 sequ. al. l. Qua negligentia epist. I, 10 init. enuntiatum composuit, ut quodammodo possit dubitari, quomodo eius partes sint coniungendae:

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores; hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli
Fraternis animis quidquid negat alter et alter
Adnuimus pariter vetuli notique columbi.

Hic ab aliis viris doctis aliter interpungitur, Rectam autem viam iniisse Meineckium puto, quem secutus est Orellius, qui locum ita constituerunt, ut egomet cum ascripsi. Potest prima enuntiati pars, quae finitur verbo *amatores* a sequentibus separari, ut Hauptius fecit puncto post id verbum ponendo; sed verba, quae sunt *vetuli notique columbi,* quin ad antecedentia retrahenda sint, equidem non dubito. Nam si cum sequentibus conferuntur, imago, quam poeta verba *adnuimus* efficere voluit, deletur. Verbum autem *adnuimus* praedicatum est nominis *gemelli,* inter quae enuntiatum *fraternis — alter* positum est, minus concinne credo, quod tamen non sine arte fraternum amorem exprimens cohaeret quodammodo cum antecedentibus et sequentibus ita ut interpunctione non secernendum sit.

Denique id mihi videtur sermonis quotidiani esse quod pars prior sententiae conditionalis cum apodosi omissa coniunctione coniungitur. Neque enim in elatiore poesi hanc consuetudinem invenies, quum tamen apud Ciceronem praesertim in eius orationibus et dialogis haud rara sit. Saepe autem Hor., si satirarum epistolarumque volumen spectas, eum usum habet nec solum in enuntiatis conditionalibus verum etiam concessivis. Nostra autem lingua, si similem sequitur dicendi consuetudinem, verborum collocatione, ut ita dicam, interrogante hanc enuntiatorum rationem significat, quod sermone Latino fieri non potest. Cf. sat. I, 3, 15: *Decies centena dedisses, — nil erat in loculis; erat* respondet Graeco ἦν ἄν significatque hominis inconstantis consuetudinem. Epist. I, 16, 53: *Tu nihil admittes in te formidine poenae: sit spes fallendi, miscebis sacra profanis* i. e. *Ut nihil admittas, si sit spes et qu. s.* Saepius autem indicativus eo modo usurpatur ut celeritate quadam dicendi aliquid, quod fieri possit, vere

esse dicatur. Veluti epist. I, 1, 33: *Fervet avaritia miseraque cupidine pectus, sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem possis.* Imprimis huc pertinet eiusd. epist. v. 87: *Lectus genialis in aula est: Nil ait esse prius melius nil caelibe vita; Si non est, iurat benc solis esse maritis.* Cf. sat. I, 3, 84: *Paullum deliquit amicus — fugis;* sat. II, 6, 50: *Frigidus a nostris manat per compita rumor. Quicunque obvius est, me consulit.* Notio *si quando* audienda est sat. II, 6, 49: *Ludos spectaverat una, Luserat in campo: „Fortunae filius" omnes.* Plusquamperfecta enim sunt accipienda ac non perfecti coniunctivi, quos Bentleius voluit et quod illa magis codicum auctoritate firmantur et quod hoc loco non exhibetur *fieri potuisse,* ut Hor. ludos spectaret sed eum saepe *spectasse* ludos cum Maecenate. Eodem modo poeta imperativum posuit sat. II, 1, 53: *Scaevae vivacem c r e d e Matrem; nil faciet sceleris pia dextera: i. e. si credideris.*

Minus saepe Hor. coniunctivum concessivum omissa particula ad apodosin retulit. A. p. 369: *Consultus iuris et actor Causarum mediocris abest virtute diserti Messalae nec scit quantum Cascellius Aulus: Sed tamen in pretio est,* quorum enunciatorum rationem facile cognoscere licet ex particula *tamen* apodosin incipiente. Cf. epist. I, 1, 28: *Non possis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.* Particula *sed* apodosin incipit sat. I, 10, 64 et s.: *Fuerit Lucilius, inquam comis et urbanus, — sed ille — deterceret sibi multa.* Laxius sine ulla particula sententiae compositae sat. II, 3, 57: *clamet amica Mater, honesta soror cum cognatis pater, uxor, — Non magis audierit et qu. s.* V. 292: *Casus medicusve levarit aegrum ex praecipiti: mater delira necabit.* Cf. sat. II, 6, 25 sequ. Denique eodem modo explicandus est indicativus *evasti* sat. II, 7, 68: *Evasti: credo, metues doctusque cavebis: Credo* κατ' εἰρωνείαν positum esse liquet ex loci ratione ita ut versus idem valeat quod, *Etiamsi evasisti, non tamen metues.*

Atque haec habeo, quae universe et generaliter de enuntiatorum formatione Horatiana proferam. Accedo nunc ad id quod mihi proposui, ad syntaxin vel potius grammaticam rectionem, ut ita dicere liceat, contemplandam. In quo ea potissimum accuratius pertractabo, quae mihi Horatio soli propria et peculiaria visa sunt, saepe tamen,

ubi ad totam dicendi consuetudinem recte aestimandam necessarium erit, et Graecismi et prosae orationis et eorum, quae ei cum aliis poetis communia sunt, quantum fieri potuit, diligenter ratione habita, ita etiam ut ab usus Horatiani observatione profectus ubi occasio mihi videbitur data esse, de certis locis in quibus aut tradendis aut interpretandis viri docti in diversas abeunt partes moderate modesteque disputem. Omnia autem quae a rectione aliena sunt, veluti usus substantivorum numeri pluralis et adiectiva, quae magis ad verborum significationem pertinent, omittam. Sed quoniam collocatio verborum apud Hor. obvia multa habet, quae memoratu sunt digna, eam etiam postquam de casibus temporibus modis disputavero, paucis illustrabo *).

*) Sed praeter hoc proemiam eas tantum opusculi partes typis describendas caravi, quae agunt de infinitivi et schematis, quod dicitur *ἀπο κοινοῦ* usu Horatiano.

DE INFINITIVO.

Quoniam infinitivus inter verbi substantivique notionem quodammodo videtur haesitare ita, ut eius vis et natura non evidenter appareat, de eo et veteribus (cf. Diog. Laert. VII, 58. Apoll. Dyscol. de constructione or. III. 13 p. 230 ed. Bekker, quem explicuit Guil. de Humbold ind. Bibl. II. p. 71—79.) et recentioribus temporibus a viris doctis multa et diversa illa quidem sunt disputata. Ac recentiorum, qui de ea re exposuerint, nomina attulit Haase in annotatione ad Reis. schol. p. 750. Quorum Max Schmidt in dissertatione scholastica infinitivo notionem substantivi tribuendam esse probare studuit, contra quem exstitit Guil de Humboldt, qui infinitivi naturam magis ad verbum pertinere quam ad substantivum demonstravit (Ind. Bibl. II. p. 75 sequ.) Neque aliter Iacob. Grimm (Gram. Germ. p. 56, 91.) infinitivi vim et naturam accipiendam esse professus est. Et recte illi quidem, praesertim si formam spectamus. Neque enim ex ullius linguae legibus infinitivus per casus declinatur, (cf. Bopp: Ueber das Conjugationssystem der Sanskritsprache im Vergleich mit jenem des Lat. Gr. Pers. Ind. Germ. Frankfurt a. M. 1816. Reis. §. 142. p. 223.) et si Graeci speciem quandam declinationis per articulum effecerunt, id, quod nos etiam facimus, Latini eo auxilio carebant ita, ut si quid simile volebant exhibere ad gerundium deberent confugere. Est autem infinitivus verbum substantivi instar adhibitum ita tamen, ut actionem, quum fit, significet, substantivum autem actionem circumscriptam et definitam. (Reis. §. 444. Krueg. §. 474.)

Romanos autem imprimis tenuisse infinitivi vim verbalem maxime apparet ex usu infiniti, qui dicitur historici, quae dicendi ratio soli Latinae linguae propria est. (Cf. Mohrii et Prahmii de hoc inf. commentationes et eos, quos affert Haase ad Reis. schol. annot. 599). In quo usu interpretando, si eorum vestigia vellemus sequi, qui infini-

tum substantivi vicibus fungi copulamque enuntiati omissam esse censerent, veluti Kruegerus gr. Lat. p. 597 n. 1, eodem laboraremus errore, quo veteres Grammatici, hanc dicendi consuetudinem ellipsi explicandam esse rati. (Quint. einst. or. VIII. 6, 21) Praetera cf. Cort. ad Sal. Cat. c. 6, Grotef. gr. L. p. 274, Muelleri (de usu atque natura inf. hist. Cellae 1833 p. 16) iudicia. Sed cum hic infin. ab omnibus omnium temporum scriptoribus usurpatus sit ad orationis brevitatem et concinnitatem efficiendam, apparet eum ex latinae linguae ingenio ortam esse cum eoque quasi cohaerere. Quae cum ita sint, rectissime videtur iudicasse Prahmius, qui hunc usum ita explicuit, ut infinitivo hist. eandem vim tributam esse censerct, quam haberet verbum finitum. Causa autem cur praesentis infinitivum ita adhibuerint Romani sine dubio in eo cernitur, quod infin. praes., si modo est praesens tempus, notioni infiniti temporis respondet maxime. Sed missis his accedo ad eius usus exempla Horatiana, quae nonnisi in satiris et epistolis iuveniuntur: sat. I. 5, 12 *pueri ingerere;* I. 8, 47 *illae currere*; II. 3, 316 *illa rogare*; II. 6, 100 *nocturni subrepere;* II. 835 *vertere pallor;* ib. 59 *Rufus furere*; epist. I. 7, 67 *ille excusare,* quibus omnibus locis. infin. hist. unus usurpatur, quod rarius est; vide Krueg. gr. L. p. 598 n. 2. Complures habes: Sat I. 9, 95 *male salsus ridens dissimulare; meum iecur urere bilis*; sat. II. 6, 114 *pavidi currere, exanimis trepidare*, *urere bilis;* epist. I. 7, 61, 62 *non sane credere Mena, mirari secum tacitus.* Prima verbi persona subiectum est sat. I. 9, 9—10: *ire* (ego) *consistere, dicere.*

Etsi autem infinitivum vim verbalem habere videmus, tamen accuratiore caret actionis descriptione ita, ut si certi quid est efferendum cum aliis vocabulis eum coniungi necesse sit. In quo quemque id facile Humboldtio concessurum esse puto infinitum quum nullam habeat personarum distinctionem, tum demum certi aliquid indicare, si certarum personarum significatio ex iis vocabulis, unde aptus sit, ad ipsum referatur. Eo efficitur, si ad vivum resecamus, ut infinitivus, nisi ex eiusmodi vocabulis, quibus personae distinguantur, aptus esse non possit. Quae cum ita sint, verba sola, quippe quibus personae distinguantur, infinitus sequi posse videatur. Attamen liquet eum nominibus etiam subiicere licere, si illa interposita alicuius

verbi notione verborum ipsorum induunt naturam atque potestatem. Veluti si Salustius apud quem non raro hic usus occurrit (Cat. 30, 5) dicit: *quibus vendere omnia mos erat*, infinitivus vendere non pendet a substantivo, quod est *mos*, sed a verbis quae sunt *quibus mos erat*, quae idem valent quod *solebant*. Cf. Kritz ad h. l. Reis. p. 440. Itaque inf. sive pendet a verbo, sive a substantivo, quod cum verbo *esse* coniunctum notionem induit verbi, obiecti tenet locum.

Neque tamen quaelibet verba secum habere possunt infinitum, qui quum ut, vidimus, per se non habeat certam personarum distinctionem, cum eo verbo par est unde pendeat in unam quasi notionem coalescere. Sed quoniam omnia, quae fiunt aut *fieri* aut *fieri debere* aut *fieri posse* cogitanda sunt, quarum sententiarum priores verbi finiti modo indicativo, ultima coniunctivo (optativo) exhibetur, ut eadem ratio efferatur verbo infinito, infinitivum verba quaedam auxiliaria, quae dicuntur, adsciscere necesse est. Apparet autem ex iis, quae modo dixi, eiusmodi verba ut ita dicam primitiva duo tantum esse *posse* et *debere*, inter quae medium quodam modo locum tenet *velle*, contrariasque iis verbis notiones. Ac revera si eorum, quae cum infinitivo iunguntur verborum singnificationem perpendimus, facile conceditur omnia ad unam ex iis, quas protuli, notionibus principalibus redire, quae verba cum per se nihil certi dicant facillime iunguntur cum infinitis, qui quasi eorum sunt complementa, quibus demum certa et iusta notio efficitur. Sed apud bonae notae Romanorum scriptores non multa eo modo iunguntur verba cum infinito. (Vide Madv. gr. L. p. 388). Poetae autem, quamquam easdem tantum notiones cum infinitis iungebant, tamen eas varie expresserunt atque ita auxerunt verborum, quae cum infinitis iungi solent numerum. Sed si, ut exemplo utar, notionem, quae inest in verbo *velle* per verba qualia sunt *tendere urguere* alia expressam sociabant infinito, id eo consilio eos fecisse veri est simile, ut orationi poeticae vocabulis plenioribus et gravioribus usurpandis gravitatem, ornatum, colorem adderent. Neque enim id universe de lingua Latina ausim contendere, quod Iacob Grimm (Gram. IV. p. 91) de nostra pronuntiavit, verborum quae cum infinito iungi soleant numerum priore tempore maiorem fuisse quam posteriore, quum reliquiae litterarum Latinarum antiquioris temporis,

quae hodie exstant, poetarum sint, qui cur ita scripserint modo vidimus. Atque ut accedamus ad Horatium, primum ea verba personalia cum infinito iuncta enumerabo, quae notione similia sunt verbo *posse*. Atque id ipsum verbum multifariam. Idem cadit in *quire* et *nequire* *Valere* c. I. 34, 13; II. 5, 1; IV. 7, 27; epod. 5, 87; 16. 3; sat. I. 1, 14; 9, 39; II. 7, 87; ap. 40, 305, 473; *evalescere* epist. II. 1, 200; *callere* IV. 9. 48, 49; quae tria verba, ita usurpata, poetarum sunt. Praetera iunxit Hor. eo modo cum inf. verbum *sciendi* sexies; *nosse* semel, *discendi* ter, *condiscendi* semel (c. II. 2, 3) *nesciendi* decies, *ignorandi* semel.

Verbum *debendi* quater ita usurpatum. Plura autem sunt verba, quae notionem voluntatis habent iunguntur que cum infinito. Ac *velle*, *nolle*, *malle* saepius, *Avere* c. IV. 11, 8; *amare* c. II. 30, 10; III. 9, 24; III. 16, 10; sat. I. 4, 87, ubi Bentleius recte *amet* restituit, pro *avet* quod languidum est; verbum amandi cum infinito coniunctum idem est, quod Graecum φιλεῖν, aliquid libenter facere; I. 16, 60; II. 3, 20, 214; 5, 96; epist. I. 14, 9; a. p. 197. *Certare* c. I. 1, 8; *cogitare* epist. I, 2, 50; a. p. 143; *consuescere* sat. I. 7, 34; *contemnere* epist. I. 1, 29, 50; *curare* quatuordecis. Dignare c. IV. 3, 15; epist. I. 19, 40; II. 2, 86. *Eniti* c. III. 27, 46, 47; a. p. 236. *Flagitare* sat. II. 6, 41; *festinare* epist. I. 2, 12, 38; *furere* c. I. 15, 27. *Gestire* sexies. *Laborare* decies. *Meditari* c. IV. 12, 23; III. 8, 24; sat. II. 3, 263. *Optare* quater. *Parare* in sat. et epist. quater. *Petere* epist. I. 11, 29. *Persequi* c. I. 23, 10; *poscere* a. p. 339; *properare* quater. *Quaerere* sexies. *Studere* ter. *Sumere* c. I. 12, 2; epist. I. 1, 7. *Tendere* c. I. 29, 15; epist. I. 7, 31; I. 16, 20; II. 2, 57. Notio *nolle* inest in his verbis: *Auferre* sat. II. 7, 44 (*differre* c. IV. 4, 21). *Cavere* a. p. 168; *cessare* c. III. 27, 58; epist I. 7, 47; 19, 12. *Desistere* semel. *Fugere* c. I. 9, 14; II. 4, 22; epist. II. 2, 151. *Metuere* quinquies; *mittere* c. I. 39. 3; epod. 13. 7; *omittere* c. III. 29, 11; epist. I. 18, 79; *remittere* c. II. 11, 3; *morari* epod. 16, 24. *Odisse* c. II. 16, 26; epist. I. 16, 52. *Negligere* c. I. 28, 31. *Parcere* quater; *perhorrescere* c. III. 16, 19. *Refugere* c. I. 1, 34; *recusare* quater; *reformidare* epist. I. 19, 45. *Spernere* c. I. 1, 20. *Timere* septies. *Trepidare* c. II. 4, 23. *Vitare* epist. I. 3, 16.

Reliqua verba, veluti *incipiendi, audendi,* quae item ad notionem *velle* possunt reduci, omitto. Eos autem locos exhibeo, ubi cum eiusmodi verbis infin. pass. iunctus est: *ames dici* c. I. 2, 50; sat. 2, 5. 96 *amat laudari. Nec curat reponi* c. III. 5, 30: qui locus nihil aliud singnificat nisi: virtutem simulac reliquerit animum, non iam redire velle in eum. *Quaerit subscribi* c. III. 24, 28. *Avet spargier* IV. 11, 8. *Studet tenditque haberi* epist. I. 8, 16. *Contemnas lippus inungi* epist. I. 1, 29. Atque in hoc quidem usu Hor. non multa videtur ausus esse, quum etiam antiquiores poetae fortiora illa verba iunxerint cum infinitivo. Attamen nostro poetae vindicem verba haec: *persequi, sumere, urguere, trepidare* (Stat. Theb. I. 639) *contemnere* (Senca Phoen. 197).

Omnibus, quos protuli, locis pendet infinitivus ex verbis declinatis ita ut obiecti teneat locum certamque habeat personae descriptionem. Idem, etsi non ita videatur, cadit etiam in infinitivum cum participiis et adiectivis coniunctum. Utrumque enim et adiect. et partic. quoniam ex attributiva sententia nomini alicui inhaereat necesse est, personae quoque nusquam deesse notionem elucet infinitivo ex iis pendenti. Deinde apparet adiectivum quod infinitum secum habet, si cum verbo substantivo coniunctum cogitatur, redire ad unam ex iis notionibus, quas habent verba illa auxiliaria iisque similia, quae cum infinito coniungi solere antea vidimus. Atque antiquiores poetae, ut iustum eo modo per participium verbi formam exprimerent, non raro coniunxerunt cum verbo substantivo declinato: cf. Plaut. Most. I. 2, 61 *Postilla obtigere eam negligens fui.* Sed missis his accedamus ad Horatium et videamus, quae participia notionem *posse* et *debere* habentia iunxerit cum infinito: *ausus* ter (c. I. 37, 25; epist. I. 3, 11; a. p. 287;) *debentia dici* a. p. 43; *meritum subire* sat. I. 3, 20. (c. III. 2, 21). *Valentium vertere* c. III. 25, 16; cf. epod. 17, 4. Notionem *velle* habent haec: *aventes subrepere* sat. II. 6, 100; *cupiens vincere* II. 6. 87, (7, 127 epist. II. 2, 34); *gestiens visere* c. III. 3, 54 (c. II. 5; 9); *quaerens perire* c. I, 37, 22; (c. IV. 4, 39; sat. II. 1, 77; II, 7, 114; I. 9, 8); *solitus* quinquies; *tendentes imposuisse* c. III. 4, 52; *timentis recitare* sat. I. 4, 23; *timenti aegrotare* epist. I. 7, 4; *metuens tangere* c. III. 9, 16; cf. sat. II. 3, 110; II. 5, 65; *metuente solvi* c. II. 2, 7; *metuens audiri* epist. I. 16, 60.

Magis etiam ad adiectivorum partes accedunt part. perf. pass. quorum haec Hor. iunxit cum inf: *addictus iurare* epist. I. 1, 14; *damnati dare* sat. II. 3, 86; *doctior ludere* c. III. 24, 56; *doctus tendere* I. 29, 9; (cf. c. III. 6, 39; IV. 137; c. s. 75 sat. I. 10, 19; a. p. 280; sat. II. 8, 52; c. III. 9, 17; epist. I. 14, 30); *indoctum ferre* c. II. 6, 2; *institutae libere* c. III. 8, 11; *nati consumere* epist. I. 2, 27; *rogati cantare* sat. I. 3, 2; *vocatus levare* c. II. 18, 38. Notio velle inest in his: *assuetum graecari* sat. II. 2. 11; *parati carpere* c. II. 17, 12; Cf. epod. I. 4; 17, 38; epist. II. 1, 184; *suetae vexare* sat. I. 8, 18.

Omnia verba eorumque participia iuncta cum infinito redire aut ad notionem *posse* et *debere* aut *velle* vidimus. Quod idem etsi cadit etiam in adiectiva cum infinita coniuncto, tamen, quoniam is usus abhorret a linguae Latinae natura et indole et a Graecis repetendus est, alio modo adiectivi et infiniti consociationem pertractandam esse putavi magis grammaticae Graecae ratione habita. Ac primum quidem id apparet ea potissimum adiectiva, quae notionem habeant activam, per quam aut *facultas* aut *voluntas* aliquid efficiendi efferatur ita, ut ad notionem participiorum verborum, quae sunt *posse velle* proxime accedant, cum infinito coniungi. Veluti si Hor. statim dixit c. I. 6, 5: *dicere Pelidae stomachum cedere nescii*, nescius fere idem valet, quod *nesciens* (Cf. c. IV. 6, 18; sat. II. 3, 109; Verg. georg. IV. 470; Aen. IV. 470). Huc referam adiectiva cum infinito coniuncta haec: *callidus* c. I. 10, 18; (*Mercurium Callidum quidquid placuit iocoso condere furto*). *Catus* c. IV. 12, 10. (*Catus iaculari*). *Efficax* c. IV. 12, 19. (*Cadus spes donare novas largus amaraque curarum eluere effiicax*). *Firmus* epist. I. 17, 47. (*Fundus nec vendilibis nec pascere flrmus*). *Praesens* c. II. 53, 2. (*Praesens tollere*). *Prudens* epod. 17, 47. (*Pr. dissipare*). *Sollers* c. IV. 4, 8. (*Sollers ponere*) *Indocilis* c. I. 1, 18. (*Indocilis pauperiem pati*). Addenda sunt: *idoneus* epist. I. 16, 12. (*Fons etiam rivo dare nomen idoneus.*) *Utilis* a. p. 204. (*Adspirare et adesse choris erat utilis [tibia] atque Nondum spissa nimis complere sedilia flatu*). *Minor* sat. II. 3, 312, quo loco idem valet quod *impar*: *An quodcunque facit Maecenas te quoque verum est Tanto dissimilem et tanto certare minorem?* Cf. Bentl. ad, h. l.

et Burmann ad Valer. Flacc. VII. 349. Denique adiectiv. *impotens* quod Hor. cum inf. iunxit carm. I. 37, 10 hic memorandum est. Significat intemperantiam: *Cleopatra quidlibet impotens sperare.*

Compluribus locis iam ex ipsa vocabulorum collocatione videtur apparere Hor. ad adiect. cum infin. iuncta vices participiorum, quae notione cognata sunt, verborum transtulisse. Posuit enim ea adiectiva ita, ut antecedenti participio respondeant. Sat. II. 3, 108 leguntur: *Qui discrepat istis Qui nummos aurumpue recondit nescius uti Compositis metuensque velut contingere sacrum.* Cf. c. I. 12, 7 sequ.: *Undem vocale temere insecutae Orphea silvae Ante materna rapidos morantem fluminum lapsus celeresque ventos Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus.*

Deinde ea adiectiva complector, quibus virtus quaedam aut vitium describitur atque ita quidem, ut ea infinito accuratius definiantur. Atque haec etiam adiectiva redeunt ad notiones *posse* aut *velle*, quia omnes virtutes et vitia in facultate aliquid efficiendi aut voluntate cerni apparet. Nam si Hor. habet c. II. 15, 18 *celer sequi Aiax* nihil aliud dicit nisi Aiacem facultatem habuisse celeriter sequendi. Cf. III. 12, 12; IV. 6, 40; epist. I. 20, 25. *Cautus* sat. I. 6, 51; (*Cautum assumere*). *Durus* sat. II. 4, 8. (*Durus componere versus*). *Fortis* c. I. 37, 26 sequ. (*Cleopatra fortis et asperas Tractare serpentes*). Cf. c. III. 3, 50; sat. II. 7, 85 sequ. *Audax* c. I. 3, 25; (*Audax omnia perpeti*) (Prop. IV. *[V.]* 5, 13). *Impiger* c. IV. 14, 22 sequ. (*Impiger hostium Vexare turmas*). *Piger* sat. I. 4, 12. (*Lucilius garrulus atque piger scribendi ferre laborem*). *Lenis* c. I. 24, 17. (*Mercurius non lenis precibus fata recludere*). Cf. c. s. 13. (*lenis aperire*). *Levis* c. II. 4, 11. (*Leviora tolli*). *Pernix* a. p. 165. (*amata relinquere pernix*). *Pertinax* c. III. 29, 49: (*Fotuna Ludum insolentem ludere pertinax*). *Laevus* epist. I. 15, 30. (*Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus*). Contrariam notionem habet *timidus* c. III. 19, 2. (*Codrus pro patria non timidus perire*). Cf. c. IV. h, 51. *Segnis* c. III. 21, 22. (*Segnes nodum solvere Gratiae*). Liberiore modo Horatius adiectivo, quod est *dolosus* usus est cum inf. coniuncto. Cf. c. I. 35, 26: *amici dolosi ferre.* Accepit enim adiectivum

hac coniunctione notionem quandam negantem ut idem valeat, quod *recusantes ferre.*

Non raro Hor. adiecticis quae sunt *dignus* et *indignus* infinitum apposuit. Locos huc pertinentes complector. Cf. epist. I. 10, 48: (pecunia) (*Tortum digna sequi potius quam ducere funem*). Saepius hoc adi. inf. passivi habet. Cf. c. III. 21, 6: *amphora digna moveri,* sat. I. 5, 34: *dignus notari*; I. 4, 3: *dignus describi,* ib. 25: *dignos culpari;* 16, 72: *digna legi;* a. p. 284: *dignam regi.* ib. 183: *non tamen intus digna geri promes in scaenam.* Duobus locis adi. *indignus* infinito activi additum invenimus ita, ut eius significatio paullo mutata videatur. Cf. epist. I. 3, 35: *Vivitis indigni fraternum rumpere foedus.* Apparet enim hoc loco *indignum esse* idem valere, quod *non decere,* itaque indigni hic idem, quod *quos non decet.* Idem cadit in loc. a. p. 231: *Effutire leves indigna tragoedia versus*, i. e: Non decet sive indignum est tragoediam leves versus effutire. Est autem hic usus Graecorum dicendi consuetudini similis, qua personalem, ut ita dicam, constructionem pro impersonali adhibuerint. Cf. Krueg. gr. Gr. I. §. 55, 3 n. 7 et 10 Bernhardy p. 467. Antiph. III. 3, 10 11. Democc. Mid. 34, 100, 142, 169, 211; de cor. 4; Aristocr, 55. Thucyd 40, 3.

Sed quum Graecorum imitatio tum etiam ea dicendi ratio videtur multum attulisse ad huius adiectivorum cum infinitis coniunctorum usus fines propagandos, qua poetae veteres adiectivum ponere solebant pro adverbio. Cf. Hor. c. I. 2, 45; II. 5, 20; 13, 7; sat. II. 6, 100; Reis. §. 225; Kritz ad Sal. Iug. 26, 5. Etenim verborum coniunctio, quae est *Fortuna ludere pertinax*, fere idem valet quod *Fortuna pertinaciter ludens,* quam rem breviter attigit Orellius ad. c. III. 29, 50. Attamen discrimen inter adverbii et adiectivi usum intercedere vident omnes. Illo enim actionem, hoc qualitatem subiecti perpetuam magis urgueri consentaneum est. Eo modo poetae Latini adiectivum *facilis* cum infinito iungere solebant: veluti Prop. I. 11, 11: *Lympha facilis cedere* i. e. *facile cedens.* Quod adiectivum non habet Hor. ita usurpatum, aliae autem verborum consociationes ita explicandae sunt. Nam proxime accedit ad adiectivi *facilis* notionem adiectivum

cereus cum inf. iunctum hoc modo; *Imberbis iuvenis Cereus in vitium flecti* (a. p. 161) i e. iuvenis, qui cerae instar facillime ad vitium potest moveri. Cf. Graecorum εὔπλαστος apud Arist. poet. I. 7, 2, quem locum apposite contulit Orellius. Vide etiam c. IV. 12, 17: *Nardi parvus onyx eliciet cadum, qui nunc Sulpiciis accubat horreis. Spes donare novas Largus amaraque curarum eluere efficax.* Dicit hoc loco Horatius cadi, vel potius vini, quod in eo est, esse naturam multas spes (large c. I, 9, 5) donare. Sat. II, 8, 23: *Porcius — Ridiculus totas simul absorbere placentas*; i. e. qui ridicule totas placentas absorbere solet. Cum infinito perf. eo modo coniunxit Hor. adi. *verax* c. s. 25: *veraces cecinisse.* Cf. etiam c. I, 12, 11; c. s. 13.

Videmus omnes hos locos, quos proxime contuli, a Latino sermone quodammodo abhorrere et magis Graecorum more esse conformatos. Sed duo denique exempla afferenda sunt, quibus poetam (externam quoque) Graecae orationis formam adhibuisse liquet. Solebant enim, ut notum est, Graeci poetae per pleonasmum quendam infinitivos, qui sunt ἰδεῖν, φαίνεσθαι aliosque adiectivis sensibus subiectis adiungere. Cf. Il. υ, 131: χαλεποὶ δὲ θεοι φαίνεσθαι ἐναργεῖς; Odyssee 6, 4: μάλα μέγας ἦν ὁράασθαι; Aeschyl. Pers. 396: ἐκφανεῖς ἰδεῖν. (Vide Bernh. synt gr. p. 360.) Quam consuetudinem secutus scripsit Hor. c. IV, 2, 57 *niveus videri* et c. I, 12, 25 *Urit me Glycerae nitor et vultus nimium lubricus adspici.* Eiusmodi exempla ante Virgilium (Aen. VI, 45 seq.) et Horatium non inveniuntur. A posterioris vero aetatis poetis infiniti, qui sunt *videri aspici cerni* non raro eo modo sunt usurpati. Cf. Lucan. III, 347; Stat. Theb. V, 40; VI, 843, silv. II, 1, 168.

Vidimus quam multa et quam varia adiectiva Hor. cum infinito iunxerit. Itaque recte iam Iani (Ar. p. 140 p.) animadvertit hanc dicendi consuetudinem nullum magis in deliciis habuisse quam Horatium. Neque enim in Lucretii aut Catulli aut Tibulli libris hic usus tam saepe occurrit, quam in Virgilii et maxime in Horatii poematis, quos posteriores poetae secuti sunt non raro fines huius consuetudinis propagantes. Itaque non alienum videatur hoc loco ea adiectiva componere, quibus Horatius primus infinitum subiecisse putandus est, quae non

parvum complent numerum. Sunt adiectiva *blandus,* (Statius Theb. 5, 456), *callidus* (Pers. I, 118), *catus* (Appuleius Flor. 3), *cereus, durus, efficax, firmus, fortis,* (Stat. Theb. 10, 905.) *idoneus, impiger,* (Claud. in Ruf. I, 240.) *impotens* (Liv 27, 48: *elephanti impotentes regi et inter duas acies versari), largus, lenis, lubricus minor, niveus, piger, pernix, pertinax, prudens, ridiculus, saevus, segnis, sollers* (Sil. VIII, 595; Ovid. trist. 5, 7; Luc. 8, 296), *timidus* (Sil. 16, 25) *utilis.* Ea autem adiectiva, quibus non exempla posteriorum poetarum adiuncta sunt, solus Horatius videtur ita usurpasse.

Quod de liberiore usu adiectivorum cum infinito coniunctorum dicendum est eum a Graecis sumtum esse, idem etiam cadit in eam consuetudinem, qua verbo dicendi, si in utraque enuntiati parte idem subiectum est, solus infinitus omisso accusativo obiecti subiicitur ita etiam ut praedicatum infiniti ponatur nominativo. Cf. epist. I, 7, 22: *Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,* ubi ante Bentleium fere ubique *paratum* legebatur, qui rectissime Catulli illud: *Ait fuisse navium celerrimus* comparavit. Vide Reisig. schol. 791. Sed si Orellius ad h. l. ea, quae leguntur c. III, 27, 67. *Uxor invicti Iovis esse nescis* huc retulit, erravit, credo. Neque enim haec verba significant: *nescis te uxorem esse,* sed *non audes uxor esse invicti Iovis;* nesciendi verbo infinitus obiecti instar additus est sicut alias. Sed cf. a. p. 417: *mihi turpe relinqui est. Et, quod non didici, sane nescire fateri,* qui locus obiectis omissis memorabilis est. Epod II, 24: *gloriantis* (*se*) *vincere;* epist. I, 2, 11: *negat* (se) *posse cogi;* I, 16, 37. Deinde verba *gaudendi* eam rationem sequuntur. Cf. c. I, 1, 11: *gaudens* (se) *findere;* I, 34, 16 *gaudet* (se) *posuisse;* III, 18, 15: *gaudet terram pepulisse fossor;* III, 6, 11 *renidet* (se) *adiecisse,* sat. I, 4, 78: *gaudes laedere;* cf. II, 8, 62. Passivi infiniti ito usurpati inveniuntur c. II, 6, 21: *gaudet doceri motus Ionicos matura virgo;* IV, 6, 42; *vinci dolentem crevit in Herculem;* epist. I, 20 4: *gemis ostendi.* Similis est locus epist. I, 16, 31: *Nempe Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.* Eodem modo coniunxit cum nudo infinito passivi verbum *invidendi* c. I, 37, 30: *Cleopatra invidens deduci* i. e. minime concedens. Sat. I, 2, 100 hoc verbum Latino more accusativum et infinitum

habet: *plurima quae invideant pure adparere tibi rem:* Eo modo iam dixerat Plautus.

Non raro Hor. verbo *iubendi* nudum adiecit infinitum obiectumque omittit. Cf. c. II, 3, 14: *Huc vina et unguenta et lilium breves Flores amoenae ferre iube rosae.* Videmus hoc loco verbum iubendi notionem habere generaliorem et respondere nostro „heissen". Cf. Zumpt. gr. L par. 617 et Ernesti ad Taciti an. I, 38. Hor. c. II, 15, 19; III, 24, 13: *pauperies iubet quidvis et facere et pati;* epist. I, 7, 14; *iubet vesci,* quibus locis de certo obiecto non est cogitandum, quod desideratur hisce locis: c. III, 21, 8: *iubente (te) promere;* sat. II, 3, 77: *iubeo* (eum) *audire;* II, 5, 38: *iube* (me) *domum ire;* epist. I, 17, 18; a. p 440: *delere* (te) *iubebat;* epist. II, 1, 228: *vetes* (nos) *egere;* c. I, 6, 19: *vetat* (nos) *deterere;* cf. epist. II, 1, 23.

Hic etiam usus a Graecis repetendus est, quo verbum *dandi* et similia cum infinito iunguntur ita ut hic obiecti teneat locum habeatque tamen vim quandam consecutivam. Neque enim haec verborum consociatio in bona prosa oratione inevnitur, quae postea autem, apud Plinium exempli causa, non rara est. Cf. Mdv. gr. L. §. 360 not. 6. Horatius habet hosce locos: c. I, 31 fin: *frui paratis et valido mihi, Latoe, dones* et quae sequ. Epist. I, 16, 61: *da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,* quo loco ante Bentleium non raro legebantur *iustum sanctumque.* Obbarius ad h. l. contulit Il. III, 322; Eurip. Phoen. 628 Xen. Cyr. 6, 4. Simili modo Hor. orationem optantem inducit sat. II, 3, 191: *Di tibi dent capta classem deducere Troia,* ubi ei Homeri versus (Il. α, 18.) *῾Υμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ᾿Ολύμπια δώματ᾿ ἔχοντες ᾿Εκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν εὖ δ᾿οἴκαδ᾿ ἱκέσθαι* esse obversatos veri est simile. Vide c. II, 16, 40 *dedit spernere,* a. p. 85, 324; epist. I, 7, 27 *reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et inter vina fugam Cinarae maerere protervae.* Cf. autem epist. I, 19, 9: *adimam cantare.* Similes sunt verborum consociationes hae: *patitur* (me) *dicere* c. I, 19, 10; *permitte* (eum) *dicere* sat. II, 3, 190; *patiar* (me) *mori* c. III, 9, 16; *patiar* (me) *adscribi.* Eodem modo etiam verba prohibendi iungit cum infinito: *prohibebat tangere* c. III, 19, 16, cf. epist. I, 6, 57 et sat. I, 6, 28: *interpellet* (me) *durare.*

Nec raro poeta usus est infinito pro enuntiato finali quod maxime

cadit in verbum *cogendi*: cf. c. III, 15, 12 *cogit illam ludere;* sat. I, 4, 37 et 143; sat. I, 6, 37; epist. I, 6, 91; 16, 74; a. p. 408; *cogor dare* c. I, 34, 4; cf. sat. I, 1, 71. Carm. I, 2, 28; *pecus egit altos visere montes* (ad montes visendos); c. III, 7, 15: *ut impulerit maturare necem.*

Pro participio futuri passivi usurpatur infinitus hisce locis: carm. I, 26, 3: *tradam portare ventis tristitiam et metus* (tradam ventis portandam trist. et met.); sat. I, 1, 52: *Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas.* Simili modo poeta cum verbo censendi inf. activi coniunxit epist. I, 2, 9: *Antenor censet belli praecidere causam* (belli praecidendi esse causam), quae tamen verborum consociatio praegnanti, ut ita dicam, verbi censendi significatione explicanda est. Sicut enim verbum quod est *videri* saepe ita usurpatur, ut idem valeat, quod *aequum* sive *bonum videri*, ita hoc loco verbum censendi idem valere videtur, quod aequum censet. Verisimile admodum est Horatio Graecos obversatos esse, qui ut Heindorfius ad Plat. Prot. pag. 343 observavit, verbis ἡγεῖσθαι, δοκεῖν, similibus eandem subiecerunt notionem. Diversa autem sunt, quae leguntur epist. I, 9, 5. Huc refero etiam verba quae sunt *hortari* et *optare* cum infinito iuncta epist. I, 1, 69: *an qui fortunae te responsare superbae Liberum et erectum praesens hortatur et aptat.* Nam verbum aptandi postulat *ad* cum gerundio. Sed mitigasse videtur Horatius verborum consociationem quae est *responsare aptat* praemisso *hortandi* verbo, quod si non saepe at certe hic, illic cum infinito iunctum invenitur.

Etsi Romanos imprimis notionem infiniti verbalem servasse constat, tamen ii eo etiam substantivi instar certis rationibus usi sunt ita autem ut nominativi et accusativi fungeretur vicibus Neque enim Latini habebant articulum, qui apud Graecos ad huius usus fines prolatandos multum videtur valuisse, cuius tamen loco Ciceronem pronomen *ipsum* infinitivis subiecisse notum est. Horatius quidem infinito, subiecto, praedicatum addidit atque id quidem ex verbo aut substantivo aut subst. et adi. aut pronom. constans. Substantivum: c III, 24, 24 *pretium est mori*; III, 25, 19 *dulce periculum est sequi;* IV, 4, 52 *quos fallere atque effugere est triumphus;* epod. 16, 17—21 *nulla sit hac potior sententia ire;* sat II, 21 *virtus sit vivere;* II, 3, 123 *ludus*

erat potare; II, 4, 76 *vitium est dare;* epist. I, 1, 42 *virtus est vitium fugere et sapientia prima Stultitia caruisse* ib. 61: *hic murus aeneus esto: nil conscire sibi nulla pallescere culpa*, quae verba Meineckius immerito videtur eiecisse; epist. I, 6, 1 *Nil admirari prope res est una;* I, 7, 35 *laus est principibus placuisse;* a. p. 309 *principium et fons est sapere;* ib. 396 *sapientia fuit secernere;* Pronomen: sat. II, 3, 41 *inquiram, quid sit furere;* Verbum additum est sat. I, 1, 77 *hoc iuvat reformidare;* II, 5, 73 *adiuvat hoc, sed vincit longe expugnare;* epist. I, 17, 3 *attingit solium Iovis et coelestia tentat res gerere et captos ostendere civibus hostes*·

Tum infinitus subiecti tenet locum, si iunctus est cum verbis impersonalibus, qua ratione Hor. non raro usus est. Ac primum quidem *licet* saepe invenitur ad cuius analogiam poeta verbi substantivi formam *est* usurpat: sat. I, 2, 101 *est videre;* I, 5, 87 *non est dicere;* epist. I, 1, 32 *est prodire;* 17, 26 *neque est levare;* I, 2, 79: *est plus haurire quam decerpere.* Praeterea impersonaliter cum infinito iunxit haecce verba: *prodesse* (ter), *expedire* (bis), *convenire* (semel a. p. 225), *attinere* (bis), *pertinet* (bis), *contingere* (ter), *restat* semel (epist. I, 6, 27; cf. etiam epist. I, 1, 17), *decere* (octies). Substantiva, cum *esse* coniuncta, impersonaliter usurpantur haec: *opus est* (bis), *operae pretium est* (ter in sat., semel in epist.), *fas et nefas* (octies). Adiectiva et adverbia eodem nexu positu: necesse est (bis), *difficile est dicere* (a. p. 128), *durum est* (sat. I, 9, 42), *utile* (epist. II, 2, 141 sequ.), *aequum est descendere* sat. I, 2, 34. Quae omnes verborum consociationes redeunt ad notiones *posse* vel *debere;* verbo *velle* hac sunt notione similes: *iuvat* (undecies), *libet* (ter), *placet* (carm. I, 38, 11), *delectat* (bis), *piget* (epod. 16, 27), *pudet* (bis), *tempus est* (ter c. I, 37, 3, sat. II, 4, 2, epist. II, 2, 215), *melius est* (quater), *dulce* (ter), *pulchrum* (epist. I, 2, 30), *suave* (sat. I, 1, 51), *turpe* (bis), *miserum* (sat. I, 2, 134), *puerilius* (esse) *amare* (sat. II, 3, 250). — *Thracum est pugnare* c. I, 27, 2; *miserarum est exanimari* c. III, 12, 1); *insani est gerere* sat. II, 3, 74; *non est meum decurrere et pacisci* carm. III, 29, 59, quae verborum consociationes excepta secunda habent vim verbi solendi. Denique formula *satis est* octies cum infinito praesentis, semel cum infinito perf. (a. p. 416) coniuncta invenitur.

DE FIGURAE, QUAE DICITUR ἈΠΟ ΚΟΙΝΟΥ, USU APUD HORATIUM.

Schema, quod dicitur ἀπὸ κοινοῦ apud Graecos*) et Latinos poetas invenitur. Raro accurrit apud Lucretium et Propertium, apud Catullum ni fallor, ter vel quator, saepius apud Tibullum. Nullus tamen poeta tam varie ea figura usus est quam Horatius. Cuius schematis vis et natura est, ut verbum, quod ad duo orationis membra pertinet, alteri, ut ita dicam, reservetur in eoque ponatur. Si exemplum contemplamur quale hoc est: (nenia) *Et maribus Curiis et decantata Camillis* (epist. I, 1. 64), facile primo aspectu lector *decantata* ad *Camillis* tantum pertinere existimet. Sed etiam ad alterum dativum referendum est ita, ut collocatio naturae convenientior sit: *decantata et m. Curiis et Camillis*, aut: *et maribus Curiis et Camillis decantata.* Est autem *decantata* ita positum, quasi bis adesset, neque tamen hic usus ex ellipsi sed ex sola verborum collocatione repetendus est. Sed si a versu discedimus pro *et* etiam *que* licet usurpare ita ut dici possit: *et maribus Curiis decantataque Camillis* Vides, quo tendam. Notum enim est particulas *que*, *ve*, *ne* quum apud omnes poetas Latinos tum apud Horatium sedem suam hoc modo non raro relinquere. Veluti nostro loco, scilicet ut ego eum mutavi, particula *que* non ad participium cui adiecta est, sed ad *Camillis* pertinet. De hac re multi disputaverunt, sed pauci rem explicasse videntur. Ac primum quidem, quantum ego scio, Ioh. Matth. Gessnerus de ratione huius usus dixit, quem laudat Peerlkampius ad carm. III, 11, 28, qui tamen rem breviter strictimque tetigit. Luebkerus conatus quidem est naturam huius particularum collocationis indagare, sed non diffi-

*) De usu et ratione huius schematis apud Graecos disputavit Melhorn, cuius tamen libellum inspicere mihi non licuit.

teor me huius viri explicationem non intelligere. Apud Zumptium brevem habemus rei descriptionem (§ 358), neque multo accuratius Reisigius in schol. pag. 414 de eo usu disputat. Dissenus ad Tibull. I, 1, 51 non falso de hac consuetudine disserit, sed non ostendit eam cohaerere cum figura ἀπὸ κοινοῦ certumque aliquod eius genus efficere.

Sed si quis naturam huius figurae accuratius explorare voluerit, ei videndum erit et quomodo membra orationis, in quorum altero vocabulum, primo etiam commune, ponitur, inter se iuncta sint et qualia verborum genera alteri orationis parti eo modo reserventur. Ut ad primam quaestionem accedam, possunt partes orationis tales esse, ut aut per coniunctiones copulativas aut disiunctivas aut per anaphoram aut denique ἀσυνδέτως componantur. His modis Hor. saltem eam figuram adhibuit. Per *et* epist. I, 1, 64, de quo loco iam dixi. *Atque* ita usurpatum est sat. I, 3, 64: *ubi acris invidia atque vigent ubi crimina etc.*, vide sat. I, 6, 65. Cf. sat. I, 2, 125: *ut neque longa nec magis alba velit quam dat natura videri*, ubi coniunctionem negantem habemus. Nam adverbium, quod est *magis* ad utrumque adiectivum pertinere nemo non videt. Coniunctionem disiunctivam *aut* ita usurpatam habes sat. I, 1, 101: *ut vivam Maenius aut sicut Nomentanus. Sicut* etiam ad *Maenium* pertinet. Cf. epist. II, 1, 25: *Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis* (foedera), de quo versu vide p. 58. Carm. I, 11, 4: *seu plures hiemes seu tribuit Iupiter ultimam.* Exemplum huiusmodi anaphorae est carm. I, 8, 11: *saepe disco, saepe trans finem iaculo nobilis expedito.* Sat. I, 4, 77: ἀσυνδέτως partes orationis compositae sunt a p. 260: *precatur, Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.* Sponte omisi exempla particularum *que* et *ve* ita usurpatarum proponere, quae nunc statim seorsum enumerabo:

Carm. I, 30, 6: Gratiae zonis *properentque* Nymphae,
„ II, 17, 6: Sic potenti Iustitiae *placitumque* Parcis,
„ II, 19, 32: Ore pedes *tetigitque* crura,
Carm. saec. 22: Cantus *referatque* ludos,
Sat. I, 6, 43. 44: Ac si plustra ducenta

Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod *vincatque* tubas.

Sat. II, 3, 182: In cicere atque faba bona tu *perdasque* lupinis,
130: Insanum te omnes pueri *clamentque* puellae.

Omnibus his locis accedit particula ad verbum, qui usus non raro occurrit. Cf. Tibull. I, 1, 51; I, 3, 56; I, 4, 2; I, 10, 54; Ovid. trist. IV, 1, 74 hor. 9, 34.

Semel tantum particula *que* substantivo, quod per figuram ἀπὸ κοινοῦ in altero membro positum est, adiicitur ab Horatio a. p. 178: *Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis*, qui locus admodum est memorabilis, quia et verbum *morabimur* et substantivum *aevo* alteri parti servata sunt. Praeterea liceat mihi duo Tibulli locos proponere, qui mihi praesto sunt.

I, 6, 81: Hanc animo gaudente vident *iuvenumque* catervae,
Commemorant merito tot mala ferre senem,

quo loco genetivus ex subiecto pendens accepit *que*, hoc autem obiectum:

I, 7, 49: Huc ades et centum ludis *Geniumque* choreis
Concelebra et multo tempora funde mero.

Ad adiectivum accedit particula *que* hisce locis Horatianis:

C. I, 12, 15: Qui mare ac terras *variisque* mundum Temperat horis.
II, 19, 28: Pacis eras *mediusque* belli.
III, 1, 12: Descendat in campum petitor moribus hic *meliorque* fama.
IV, 4, 11: Ludo *fatigatumque* somno.

Hoc loco zeugma est. Qui enim quis potest somno fatigari? Non id cadet in locum c. III. 11, 13:

Tu potes tigres *comitesque* silvas ducere et sequ.

Nam verbum ducendi hoc loco habere videtur notionem generaliorem, quae propius accedit ad eam, quae inest in verbo movendi, id quod elucet ex vers. a. p. 395 sequ.:

Dictus et Amphion Thebanae conditor urbis
Saxa movere sono testudinis et prece blanda
Ducere, quo vellet. Cf. etiam Ovid. met. XI, 1.

Pluralis autem *comites* adiectivi munere fungitur et locum tenet praedicati ad duo obiecta pertinentis. Etenim si fabulam quae traditur

de Orpheo accuratius contemplamur, invenimus etiam rebus inanimatis artis musicae potentia vitam datam esse, quam ob rem et tigribus et silvis, quamquam hae radicibus humo inhaerent, vitam et liberum motionis arbitrium iure potuit poeta tribuere.

Cf. c. I, 5, 5: Hac quoties fidem *Mutatosque* deos flebit! —
I, 31, 15: ne pascent olivae Me cichorea *levesque* malvae.
I, 34, 7: per purum tonantes Egit equos *volucremque* currum:
IV, 2, 30: Circa nemus *uvidique* Tiburis ripas.
epist. I, 15, 27: Nulla fides damnis *verisque* doloribus adsit,
a. p. 393: Dictus ab hoc lenire tigres *rabidosque* leones.

Omnibus his locis *que* ad adiectivum accedit, quod etiam cadit in epist. I, 1, 17: *Virtutis verae custos rigidusque satelles*: Ita locum iam Ioh. Matth. Gessnerus acceperat, quem propter hanc sententiam Obbarius erroris insimulat. Non recte credo. Potest enim perbene hoc adiectivum, qua est significatione generaliore, etiam ad *custos* referri, ut stoici severitas, quae nulla re flecti possit, exhibeatur. Cf. Martial. 10, 19, 21: *rigidi Catones.*

Semel ab Horatio particula *que* coniunctioni adiicitur. Cf. sat. I, 4, 17: Di bene fecerunt, inopis me *quodque* pusilli Finxerunt animi Hic usus etiam apud alios poetas rarissimus. Nam non facile coniunctiones alteri orationis membro possunt reservari, cum earum natura in eo cernatur, ut enuntiatum incipiant.

Transeo ad particulam *ve*, quae eodem modo usurpata est hisce locis: carm. II, 7, 25: *Qui udo Deproperare apio coronas curatve myrto?* Cui loco addo eum, quem Lachmannus rectissima coniectura restituit II, 13, 15: *neque ultra Caeca timetve aliunde fata:* Particulam *ve* in enuntiato negante aptiorem esse quam *que*, quam Maur. Axtius coniectura verbo *timet* adiunxit, nemo non videt.

Cf. c. III, 2, 15: Nec parcit imbellis iuventae Poplitibus *timidove* tergo.
epod. 2, 50: Non me Lucrina iuverint conchylia *Magisve* rhombi aut scari;
sat. II, 3, 139: Non Pyladen ferro violare *aususve* sororem est,
ib. 180: uter aedilis *fueritve* Vestrum praetor,
ib. 141: qui sanior ac si Illud idem in rapidum flumen *iaceretve* cloacam?

sat. II, 3, 151: Quid refert morbo an furtis *pereamve* rapinis? cum quo loco confero sat. I, 2, 63: *quid inter Est in matrona ancilla peccesne togata? peccesne* enim est scribendum, quod iam Bentleius vidit, quamquam hodieque non pauci sunt, qui *peccesve* defendant. Neque enim verba quae sunt *matrona*, *ancilla*, *togata*, tres notiones efficiunt, sed duas (cf. Heind. ad h. l.). *Togata* est adiectivum et ad *ancilla* referendum ita, ut interrogatio exsistat, disiunctiva in qua particula *ne* eadem ratione qua *ve* sedem suam relinquit cf. sat. I, 8, 2:

Cum faber incertus scamnum *faceretne* Priapum.

Etiam sat. II, 3, 157 interrogatio est disiunctiva, cuius tamen altera pars a particula *an* incipiens duobus membris constat, quae particula *ve* verbo *ἀπὸ κοινοῦ* posito adiuncta, coniunguntur. Itaque *pereamve* rectissimum est. Non raro enim Horatius interrogationes bipartitas ita constituit, ut particula interrogante in primo membro omissa, alterum aut a particula *ne* aut *an* incipiat. *Ne* eo modo positum habes sat. I, 3, 63, 76 et I, 8, 2, de quibus locis iam dictum est; *an* sat. II, 7, 58: *Quid refert uri virgis ferroque necari Auctoratus eas an turpi clausus in arca*, II, 3, 157; epist. II, 2, 166: *Quid refert vivas numerato nuper an olim.* Cf. praeterea c. II, 3, 21, sat. II, 3, 166. Sed quod dicit Bentl. ad c. II, 3, 21 de loco Tibulli, non rectum est. Hoc enim loco Lachm. unicam librorum lectionem revocavit, quae est *clamve palamve.* Sed errant ii, qui Hor. epist. I, 11, 3 pro particula *ne ve* recipiunt: *maiora minorane fama? Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?* Etenim verba, quae sunt *maiora minorane fama* efficiunt interrogationem bipartitam, cuius alterum membrum a particula, quae est *ve*, incipere non potest. Cf. Sat. I, 2, 63. Madv. de fin. IV, 27, 76; Nic. Heins. ad Ov. fast. II, 7, 82). Hic etiam duo alii loci memorandi sunt. Sat. I, 4, 45 leguntur: *Idcirco quidam comoedia necne poema esset quaesivere*, ubi praedicatum *poema esset* per figuram *ἀπὸ κοινοῦ* alteri interrogationis parti servatum est, ita ut particulam *necne* sequatur. Cf. eiusd. s. v. 63 (*Quaero — alias hoc scribendi genus*) *iustum sit necne poema.* Hic pradicatum *poema ἀπὸ κοινοῦ* positum est in altero membro, sed praedicati attributum *iustum* particulae *necne* antecedit.

Disputavimus de particulis, quibus membra orationis quorum in

ultimo verbum aliquod omnibus commune per figuram ἀπὸ κοινοῦ ponitur, ab Horatio coniungantur. Iam disserendum erit de verbis ipsis, quae eo modo collocentur. In quo ea exempla omitto, quae iam in particularum *que ve ne* collocatione exploranda commemorata sunt.

Incipiam a substantivis, quae raro ab Hor. ita collocantur (vide p. 54.) Subiectum eo modo positum sat. I, 6, 65:

Atqui si vitiis mediocribus ac *mea* paucis
Mendosa est *natura*,

epist. II, 2, 73: Torquet nunc lapidem, nunc *ingens machina* tignum. a. p. 200: deosque praecetur et oret, Ut redeat miseris abeat *fortuna* superbis. Cf. etiam Iuv. 6, 177; 10, 310. Obiectum eo modo non collocasse videtur Horatius. Cf. autem Tibull. I, 5, 34:

Et tantum venerata virum hunc sedula curet
Huic paret atque *epulas* ipsa ministra gerat.

Saepius verborum formae servantur alteri membro (cf. p. 54.)

Sat. I, 3, 61: ubi acres Invidia atque *vigent* ubi crimina,

c. I, 16, 4: Sive flamma sive mari *libet* Hadriano,

c. II, 12, 12: Sive reges sive inopes *erimus* coloni (epist. I, 6, 44; a. p. 18; c. III, 4, 22.)

c. III, 252: quae nemora aut quos *agor in* specus? de quo versu vide infra p. 58.

sat. I, 4, 77: num sine sensu Tempore num *faciant* alieno.

II, 3, 104: Non ille aut Teucrum aut ipsum *violavit* Ulixen. Cf. sat. I, 4, 108: parce, frugaliter atque *Viverem uti* contentus.

I, 9, 51: Ditior hic aut *est quia* doctior.

Infinitivum hoc modo collocavit non paucis locis Hor. Cf. sat I, 5, 49: Namque pila lippis inimicum et *ludere* crudis.

c. I, 12, 25: Dicam et Alciden puerosque Ledae
Hunc equis, illum *superare* pugnis Nobilem.

Cf. sat. I, 8, 34, II, 2, 22; II, 1, 16: *Attamen et iustum poteras et scribere fortem.*

Maxime autem memorabile est, si verbi forma, quae quem alloqueris, veluti secunda persona, aut imperativus alteri orationis parti reservantur. Illam habes sat. II, 3, 175:

Extimui, ne vos ageret vesania discors
Tu Nomentanum, tu *ne sequerere* cicutam.

Imperativus apud Hor. non invenitur. Cf autem Tibull. I, 1, 37 et Sophocl. Aiax 87: σίγα νῦν ἑστὼς καὶ μέν' ὡς κυρεῖς ἔχων. Praeterea cf. epist. I, 1, 64 et carm. I, 22, 5.

Ad adiectiva et pronomina loci Horatiani pertinent hi:

c. I, 2, 1: Iam satis terris nivis atque *divae* Grandinis misit pater
I, 8, 12: saepe disco Saepe trans finem *nobilis* expedito.
II, 8, 3: Dente si nigro fieres; vel *uno* Turpior ungui. cf. Lucr. 4, 1010.
III, 11, 39: socerum et *scelestas* Falle sorores.
IV, 5, 35: uti Graecia Castoris Et magni memor Herculis.

Adverbium habes sat. I, 2, 24:

ut neque longa nec *magis* alba velit quam dat natura videri.

Pronomina saepius per figuram ἀπὸ κοινοῦ collocantur:

sat. I, 1, 122: Post hanc vagor aut *ego* — unguor olivo.
c. I, 9, 15: Nec dulces amores Sperne puer neque *tu* choreas.
Vide Bentl. ad h. l. et cf. epist. I, 2, 63: hunc frenis, hunc *tu* compesce catena.
epist. I, 5, 7: Iam dudum splendet focus et *tibi* munda supellex.
sat. I, 6, 58: At hoc nunc Laus illi debetur et *a me* gratia maior.

Cf. etiam sat. I, 1, 101: ut vivam Maenius aut *sicut* Nomentanus?

Tribus denique locis Horatianis praepositio in altero orationis membro ponitur. *In* cum acc. vide c. III, 25, 2, quem locum iam attuli *in* cum ablativo epist. II, 1, 35.

Nil intra est olla, nil extra est in nuce duri.

Hoc loco ante Bentleium legebatur *oleam*, ut *intra* praepositio esset, *extra* autem adverbium. Hanc orationis inconcinnitatem animadvertit Bentleius et non ignorans hanc poetarum in praepositionibus collocandis licentiam coniecit *olea*. Orellius autem, si variatam constructionem loco ex Horatio ipso sumto defendere studet, sibi non constat respectis iis, quae dicit ad v. ei. p. 25. Similitudo autem, quae intercedit inter verba: *Iliacos intra muros peccatur et extra* (epist. I, 2, 16.) — ea enim affert Orellius — et inter nostrum locum, non ea mihi videtur esse, ut accusativum *oleam* possit firmare.

Praeterea cf. de praep. *in* c. acc. ita posita Catull. 32, 5; Lucr. 4, 145; Verg. Aen. 6, 692; Soph. Aiax 399 ib. Schneidewin; Oed. r. 637; *in* ablat. ita positum est Ovid. met. 7, 708; 12, 124.

Praepos. *cum ἀπὸ κοινοῦ* positam invenimus epist. II, 1, 25: *Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis* (*foedera*), quem locum omnes fere interpretes ita explicant, ut *Gabiis* sit *cum Gabiis*, praepositionem *cum* ex legibus figurae nostrae retrahentes. Sed Schmidius et Haudius (Turs. II. p. 168.) Marcilium, credo, secuti, *Gabiis* habent pro abl. loci et explicant *foedus Gabiis ictum*, de quo copiose narrat Dion. Hal. 4, 58. Sed qui multiplicis usus, quem habet apud Hor. *ἀπὸ κοινοῦ* schema, meminerit, is tantam accurationem historicam in nostri poetae versus non inferet Cf. Aesch. sept. in Th. 450 *προστατηρίας Ἀρτέμιδος εὐνοίαισι σὺν τ᾽ἄλλοις θεοῖς.*

Exemplis his variis perlustratis non alienum videtur quaerere, quo consilio hac figura poetae sint usi. Videntur mihi, quum verbum aliquod duobus membris enuntiati commune, alteri servarent animi quandam expectationem movere voluisse. Etenim si is; qui legit, priorem orationis partem inspexerit intellexeritque verbum aliquod ad sensum loci comprehendendum deesse, eo magis properabit ad alteram partem atque ad id verbum, quod ei deesse videbatur. Qua re fit, ut illud ipsum verbum, quod in altera parte semel positum est maiorem vim atque pondus lucretur. Quae sententia eo firmatur, quod iis vocabulis, quae eo modo servantur alteri orationis membro, particulae *que, ve, ne* encliticarum instar adiungi solent. Id enim apparet vocabulum aliquod accedente particula enclitica auctum maiorem quandam vim gravitatemque accipere. Quam autem inter orationis partes intercedere volebant poetae Latini sententiarum rationem, eam etiam, externa orationis forma clare eleganterque indicare studebant.

Prudentia et de gregis [illegible] de [illegible]. Catull. 22, 5; Lucr. 4, [illegible] Verg. Aen. [illegible] Soph. Aias [illegible] (cf. Schneidewin) [illegible] [illegible] et aliud de positum est Ovid. met. 7, 306; 12, 124.

Tragicus [illegible] positum invenimus apud [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quaestiosam [illegible] interpretes [illegible] explicant, ut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Sed Schneidewin et [illegible] (Curt. II, p. [illegible]) [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Dion. Hal. 4, 28, [illegible] Cf. [illegible] ep. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Exempla his satis [illegible] non [illegible] videtur [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] positum [illegible]. [illegible] [illegible], quum verbum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] si [illegible] qui legit, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], aliquod [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] ad al[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] positum est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible].

VITA.

Natus sum VIII. m. Ap. 1839 Gubenae in oppido Lusatiae patre Ernesto, colono, matre Christiana, e gente Pieskeriana. Patrem autem iam ante hos tres annos morte mihi abreptum esse tristissime lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Quum parentes non adeo essent a re familiari instructi ut liberaliter me possent educare, usque ad annum quartum decimum usus sum institutione, quae dicitur, elementaria. Tum autem Fr. Guil. Grasero, viro illustrissimo, hoc tempore rectore Gubenensis gymnasii intercedente hanc scholam frequentare mihi licuit. Cuius classes imprimis Richtero, Kockio, Wicherto praeceptoribus opera data quum post sexennium percurrissem, testimonio maturitatis instructus Berolinum adii, ut in litterarum Graecarum Latinarumque studio navarem operam. Scholas inde a vere anni 1859 Berolini frequentavi Boeckhii, Hauptii, Trendelenburgii, Rankii, Droysenii, Muellenhoffii, Benaryi, Iordani. Etiam Boeckhii et Hauptii exercitationibus in seminario philologico et Trendelenburgi philosophis interfui, qui viri, quam bene de mea institutione sint meriti, grato memorique animo semper profitebor.

SENTENTIAE.

1. Aesch. Prom. 313 cum Meineckio legendum est ὄτλον.
2. Soph. Ant. 1149 pro Διὸς Ζηνὸς scribendum.
3. Catull. 64 post v. 253 aliquid excidisse recte Bergkius statuit.
4. Verba Livii (I. 18): Ex quibus locis et qu. s. corrupta sunt.
5. Cic. Brut. 8. 31 sic legendum: His opposuit Socrates — instituta solebat. Huius ex uberrumis et qu. s.
6. Dialogus, qui dicitur de oratoribus, a Tacito scriptus est.
7. De Cicerone Theod. Mommsen severius iudicium tulit.